

intimos usque animi motus componendos extenditur; quapropter prima flagitiorum germina potenter extirpat, principalia rei civilis fulcimenta, uti sunt matrimonium et juramentum, obfirmat. Quibus adde Ecclesiam, ad praedictos effectus tantopere salutare certius et uberius producendos, abundare mediis supernaturalibus, qualia sunt: sacrificium Missae, sacramenta, preces et suffragia communia, benedictiones, etc.

Haec nostra argumentatio saeculorum praeteritorum experientia confirmatur, ut ostendit Leo XIII, in sua Encycl. *Immortale Dei*, his verbis: « Fuit ali-
« quando tempus, cum evangelica philosophia guber-
« naret civitates; quo tempore christianae sapientiae
« vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores
« populorum, in omnes reipublicae ordines rationes-
« que penetraverat; cum religio per Jesum Christum
« instituta, in eo quo aequum erat dignitatis gradu
« firmiter collocata, gratia principum, legitimaque
« magistratuum tutela ubique floreret; cum sacer-
« dotium atque imperium concordia et amica officio-
« rum vicissitudo auspicata conjungeret. Eoque modo
« composita civitas, fructus tulit omni opinione ma-
« jores, quorum viget memoria, et vigebit innume-
« rabilibus rerum gestarum consignata monumentis,
« quae nulla adversariorum arte corrumpi aut ob-
« scurari possunt. . . . Mansissent profecto eadem bona,
« si utriusque potestatis concordia mansisset; majo-
« raque expectari jure poterant, si auctoritati, si
« magisterio, si consiliis Ecclesiae majore esset cum
« fide perseverantiaque obtemperatum. »
Diximus: *separatio non est probanda modo abso-*

luta. Alia est enim separatio absoluta, seu, totalis, alia relativa, seu, partialis. Prior existit quando potestas civilis nullam omnino Ecclesiae rationem habet; et talis separatio, ex supra dictis, penitus reprobanda est. Separatio autem relativa et partialis tres gradus complectitur. — *Primus* est, si Status plenam Ecclesiae libertatem assecuret, sed nihil amplius, ac ideo illi non magis quam caeteris cultibus falsis in societate vigentibus faveat. — *Secundus*, si religio catholica proferatur tanquam religio Status, eo sensu quod sola adhibeatur ad preces vel gratias Deo, nomine nationis, offerendas. — *Tertius*, si religio catholica assumatur non tantum pro cultu publico, sed etiam pro fundamento et motivo legum, ut quam maxime evadant utiles; caeterae tamen religiones tolerentur. His autem partialibus separationibus opponitur unio totalis et completa, vi cujus, praedictis vinculis inter utramque societatem, additur omnium aliarum religionum, quoad externam manifestationem, interdictio. Jam vero, non intendimus hanc ultimam Ecclesiae conditionem, quamvis in se summopere desiderabilem, absolute necessariam esse, ita ut separatio partialis non sit aliquando toleranda, et quidem major aut minor, juxta circumstantias. De qua re judicium ferre spectat ad Ecclesiam.

QUESTIO IV^a

Utrum libertates civiles, quas modernas vocant, cum officiis Status erga Ecclesiam conciliari possint?

(Vide D. Benoît: *des Erreurs modernes*, t. II, n. 912... 932.)

351. Resp. Ut illa quaestio plenior et clariorem

accipiat solutionem, 1° dicendum est quae sint illae libertates, de quibus praesens movetur controversia; 2° exponendae sunt praecipuae rationes in earum favorem allegatae; 3° tradenda est doctrina circa illas a Catholicis tenenda.

I. Sunt autem illae libertates: 1° libertas conscientiae, continens libertatem cultuum; 2° libertas conceptus suos manifestandi, continens libertatem docendi. Quae libertates, prout intelliguntur ab hodiernis Liberalibus, eae sunt quas *Declaratio jurium hominis*, anno 1789, a conventu nationali Gallico elucubrata, proclamavit veluti totidem consecraria principii ab ea positi, circa notionem libertatis civilis in genere. Sic enim se habet (Art. I): « Les hommes « naissent et demeurent libres et égaux en droit. » (Art. IV): « La liberté consiste à pouvoir faire tout ce « qui ne nuit pas à autrui; ainsi l'exercice des droits « naturels de chaque homme, n'a de bornes que celles « qui assurent aux autres membres de la société la « jouissance des mêmes droits. Ces bornes ne peu- « vent être déterminées que par la loi. » (Art. V): « La loi n'a le droit de défendre que les actions nui- « sibles à la société. »

Ex hoc libertatis civilis conceptu sponte fluit art. X: « Nul ne doit être inquiété pour ses opinions « même religieuses, lorsque leur manifestation ne « trouble pas l'ordre public établi par la loi. » Haec libertas plena agendi juxta propriam persuasionem, etiam in materia religionis, modo ordo publicus per legem stabilitus non perturbetur: est libertas conscientiae et cultuum.

Sic Art. XI: « La libre communication des pensées

« et des opinions est un des droits les plus précieux « de l'homme; tout citoyen peut donc parler, écrire, « imprimer librement, sauf à répondre de l'abus de « cette liberté dans les cas déterminés par la loi. » Quae libertas loquendi, scribendi, imprimendi involvit libertatem docendi.

Cum autem in eadem declaratione legatur (Art. VI): « La loi est la même pour tous, soit qu'elle protège, « soit qu'elle punisse », hinc Status eos omnes qui libertatibus sibi a lege concessis perfruuntur, eadem persequitur benevolentia, nec minus favere debet illis qui hisce libertatibus utuntur ad falsas religiones exercendas ac disseminandas, quam illis qui ad veram.

352. II. Rationes praecipuae quae in favorem harum libertatem afferri solent, sunt sequentes:

1° Est praeclarum naturae nostrae decus in eo consistens, quod homo in ordine civili liberam habeat suorum actuum dispositionem, nisi prohibeatur a voluntate generali nationis, cujus lex civilis est authentica expressio. Atqui voluntas generalis nationis illos solos actus prohibere potest, qui communis et socialis vitae forent impedimenta, pacem publicam perturbando. Ergo quidquid civis agat aut loquatur, etiam in materia religionis, modo nihil molitur contra publicam tranquillitatem, ab auctoritate civili prohiberi nequit.

2° Praeterea, est contra rationem coactione uti in rebus, quae a persuasionem mentis liberaque voluntatis acceptance debent dependere. Atqui externa religionis verae professio est certe hujusmodi.

3° Praeterea, praedicatorum erroris non seducunt

nisi volentes. Sed nemo jus habet arcendi a proximo malum quod volens subibit.

4° Praeterea, princeps civilis non posset proscribere nisi religiones falsas; ad hoc autem praerequiritur ut iudicet auctoritative de veritate et falsitate religionis. Atqui non habet jus sic auctoritative iudicandi de veritate aut falsitate, nisi, in materia religionis, infallibilitate donetur. Ergo, quia constat eum non esse infallibilem, non habet jus proscribendi ulla religiones, etiam falsas, quae pacem publicam non perturbant.

5° Praeterea, jura principum temporalium ex auctoritatis civilis fine procedunt et mensurantur. Atqui finis auctoritatis civilis est temporalis, dum jus ordinandi ea quae ad religionem pertinent est spirituale. Ergo, nisi confundantur duae potestates, temporalis et spiritualis, fatendum est principi nullum competere jus ordinandi ea quae ad religionem pertinent. Nec mirum si principes, qui illud perfecerunt, brevi ecclesiasticae auctoritatis invasores facti fuerint et oppressores.

6° Praeterea, non potest juste animadverti in eum de cuius delicto non constat. Sed illius, qui falsae religioni adhaeret aut veram impugnat, delictum non constat; siquidem qui errores contra fidem profitentur aut disseminant, supponi possunt et debent in bona fide.

7° Praeterea, etiamsi de tali delicto constaret, videtur contra Dei voluntatem illud exterius coercere. Deus enim sic delinquentes ipse non coercet; quin imo eos non vult ab hominibus reprimi. Nonne in Evangelio semetipsum exhibet sub figura patrisfa-

miliis qui, ministris sciscitantibus utrum colligere debeant zizania cum tritico permixta, respondet (Matth., XIII, 29, 30) : *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem.* Ergo libere crescant zizania, modo libere crescat simul triticum; id est : aequalis relinquatur religionibus libertas.

8° Praeterea, multo satius est liberum relinquere veritatis et erroris occursum quam interdicere. Tunc enim veritas libere impugnata clariori luce refulgebit, et vis eidem divinitus indita manifestius se prodet.

9° Praeterea, error non vi sed rationibus confutatur; unde qui ad religionis patrocinium utitur coactione, Deo facit injuriam, et suam causam commaculat, quia accusari potest quod discussionem reformidet, et modicam fidem habeat.

10° Praeterea, jus quo frueretur princeps, propter bonum pacis, contra religiones falsas, deberet, ob paritatem rationis, tribui etiam principi heterodoxo, contra religionem veram, quam inter falsas reponendam existimat. Atqui certe repugnat principem heterodoxum aliquid posse contra religionem veram.

11° Praeterea, intolerantia civilis innumera secum affert incommoda : 1° hypocrisim, non persuasionem generat; 2° non mulcet animos, sed exacerbat odia; 3° stimulum zeli apud veritatis sectatores hebetat, ob nimiam in brachio seculari confidentiam.

12° Praeterea, libertates civiles hodiernae, etiamsi secundum se legitimae non forent, sunt tamen, veluti factum consummatum, acceptandae et imo retinendae. Tria enim videntur certa : 1° ex se non obstant quin

Ecclesia omnibus suis juribus fruatur; 2° ita sunt recentiorum populorum opinionibus et institutionibus radicatae, ut omnis pro illis extirpandis conatus ad nihil proficeret, nisi ad concitandas undique malas suspiciones et inimicitias; 3° erunt, Deo ita providente, multum bonorum occasio, ut jam diximus. Jam vero, his tribus positis, videtur christianae prudentiae magis consentaneum, has libertates nulli subicere maledicto, sed potius cum eis reconciliari, illasque ad prosperitatem catholicae religionis convertere. Unde tolerantia cultuum, quae in se mala non est, facta est, propter circumstantias, irrevocabiliter necessaria.

353. III. Doctrina Ecclesiae, circa praefatas libertates, sequentibus assertionibus continetur.

Dico 1°: *Libertates civiles hodiernae non sunt absolute necessariae.*

Prob. 1° *auctoritate.*

1° Praeteritis saeculis, Ecclesia, quoties possibile et opportunum judicavit, reges et imperatores eo adduxit, ut adversus fidei catholicae impugnatores animadverterent; est factum evidentissimum. Unde S. Aug. (2 *Retract.*, c. 5), retractans quod prius dixerat non sibi placere hanc compulsionem schismaticorum, ait: « Non placet, dixi, quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum in eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinae. » Eandem materiam latius prosequitur Ep. 48 ad Vincent., et 30 ad Bonifac., dum, loquens de legibus imperatorum contra haereticos, dicit: « Magis pro illis sunt istae leges, quae illis videntur adversae, quoniam multi

« per illas correcti sunt, et quotidie corriguntur; nam
« per leges terrentur saevientes, et corrigitur intel-
« ligens. » Ergo si libertates hodiernae in se forent
necessariae, quia a recta ratione exigentur, Ecclesia
praevaricata fuisset principes inducendo ad eas
denegandas.

2° Gregorius XVI, in sua *Encycl. Mirari*, 15 Aug. 1832, severe damnat libertatem conscientiae et cultuum, quam recentiores philosophi proclamant. Sed illa libertas eadem certe est ac ea de qua agitur in declaratione 1789, seu, est libertas cujus manifestatio non laedit pacem publicam; quis enim unquam somniavit tolerandos esse cultus ordinis exterioris subversivos, v. g. sacrificia humana?

3° Pius IX, in multoties laudata *Encycl. Quanta cura*, reprobatur propositionem qua praetenditur « libertatem conscientiae et cultuum esse proprium
« cujusque hominis jus, quod lege proclamari et asserti
« debet in omni recte constituta societate, et jus civi-
« bus inesse ad omnimodam libertatem, nulla vel
« ecclesiastica vel civili potestate coarctandam, quo
« suos conceptus quoscumque, sive voce, sive typis,
« sive alia ratione, palam publiceque manifestare ac
« declarare valeant. »

Ibidem, Pontifex damnat eos qui, ut ait: « contra
« sacrarum Litterarum, Ecclesiae sanctorumque Pa-
« trum doctrinam, asserere non dubitant optimam
« esse conditionem societatis, in qua imperio non
« agnoscitur officium coercendi sancitis poenis viola-
« tores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica
« postulet. » At, juxta adversarios, haec societatis
conditio non esset tantum optima, sed necessaria.

Idem Pontifex in suo Syllabo duas damnat propositiones : « Laudabiliter in quibusdam catholici nominis
« regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immi-
« grantibus liceat publicum proprii cujusque cultus
« exercitium habere » (Prop. LXXVIII). — « Falsum
« est civilem cujusque cultus libertatem, itemque ple-
« nam potestatem omnibus attributam quaslibet opi-
« niones cogitationesque palam publiceque manifes-
« tandi, conducere ad populorum mores animosque
« facilius corrumpendos, ac Indifferentismi pestem
« propagandam » (Prop. LXXIX). Certe libertates
necessariae laudabiliter concessae fuissent, nec tam
exitiosos effectus producerent.

4° Leo XIII pluries mentem suam de his hodiernis
libertatibus aperuit. In Encycl. *Immortale Dei*, me-
morato certamine adversus Ecclesiam inito saeculo
XVI, ait : « Ex hoc veluti fonte repetenda illa recen-
« tiora effrenatae libertatis capita, nimirum in maxi-
« mis perturbationibus superiore saeculo excogitata
« in medioque proposita, perinde ac principia et fun-
« damenta novi juris, quod et fuit antea ignotum, et
« a jure non solum christiano, sed etiam naturali plus
« una ex parte discrepat. » Evidenter Pontifex alludit
ad famosam anni 1789 declarationem. In Encycl. *Li-
bertas*, fusiori calamo de singulis hujusmodi libertati-
bus disserit, ejusque sensus in hisce verbis clare con-
trahitur : « Vetat igitur justitia, vetat ratio atheam
« esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias,
« ut loquuntur, religiones pari modo affectam civita-
« tem, eademque singulis jura promiscue largiri. »
Prob. 2° *ratione*.

Qui libertates civiles hodiernas veluti necessarias

propugnant, vel admittunt supremam potestatem re-
sidere essentialiter in populo, tanquam in primario
omnis juris fonte, vel auctoritatem dicunt a Deo pro-
fluere, ita ut nulla potestatis ordinatio sit justa, nisi
legi aeternae conformis.

Si prius, jam praeaudatae libertates videntur pror-
sus illusoriae. Tunc enim populus, omnis juris prima-
rius fons, nulla lege superiori adstringitur in suae
auctoritatis exercitio, et ideo ejus delegati suas ordi-
nationes, nomine populi conditas, non tenentur cum
Ecclesiae juribus conformare. Si ergo ipsis placeat, ob
politicam utilitatem, aliquid statuere Ecclesiae infen-
sum, haec jure poterit sua libertate privari. Et cum
eadem sit ratio de qualibet religione, patet in hoc
systemate nulli cultui plenam assecurari libertatem,
sed omnia a populi arbitrio pendere.

De caetero, quid sibi proponant libertatum hodie-
narum propugnatores, Leo XIII in eadem Encycl.
Libertas, aperit dicens : « His ex rebus intelligitur
« quae et qualis sit in hoc genere libertas, quam pari
« studio volunt et praedicant *Liberalismi* sectatores.
« Ex una parte, sibi quidem ac reipublicae licentiam
« adserunt tantam, ut cuilibet opinionum perversitati
« non dubitent aditum januamque patefacere; ex al-
« tera, Ecclesiam plurifariam impediunt, ejusque
« libertatem in fines, quantum possunt, maxime an-
« gustos compellunt, quanquam, ex Ecclesiae doctrina,
« non modo nullum incommodum pertimescendum sit,
« sed magnae omnino utilitates expectandae. »

Si posterius, id est, si dicatur auctoritatem a Deo
profluere, ejusque ordinationes deberi legi aeternae
esse conformes, repugnat etiam illa sententia. Est enim

legi aeternae contrarium, religionibus falsis pacem publicam non perturbantibus eadem competere in societate civili jura ac verae; jus siquidem est potestas moralis, adeoque secundum rectam rationem. At non est secundum rectam rationem profiteri religionem falsam. Ergo ad eam profitendam non datur verum jus.

Quod argumentum urget Leo XIII, in sua Encyclica *Libertas*, sic: « Est enim jus facultas moralis quam, « ut diximus saepiusque est dicendum, absurdum est « existimari veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter a natura datum. » Unde profitentes religionem falsam verum jus non exercent, sed e contra agunt id a quo tenentur abstinere. Porro, his qui sic se gerunt non conceditur jus, sed ad summum concedi aliquando potest tolerantia; tolerantia autem nunquam absoluta debetur, sed accidentaliter, ratione circumstantiarum, et juxta necessitatis mensuram.

354. Dico 2^o: *Libertates civiles hodiernae non sunt quid per se et absolute bonum.*

Est contra Liberales catholicos *theoreticos*; juxta quos hae libertates, licet necessariae non sint, et aliquando potuerint denegari, sunt tamen in se multum desiderabiles, utpote spiritui evangelico conformiores, et bono Ecclesiae procurando magis idoneae. Cujus sententiae falsitas argumentis, tum ex auctoritate, tum ex ratione desumptis demonstratur.

I. *Argumentis ex auctoritate.*

1^o Summi Pontifices Gregorius XVI, Pius IX, Leo XIII modo citati, illas libertates aperte reprobant, et quidem consideratas in se; seu, illas traducunt tanquam

aliquid malum, et quidem non solummodo relative ad circumstantias praesentis temporis, cum e contra, sub hoc respectu, potius videantur aliquatenus admittendae, sed absolute, et spectato jure naturali, ac evangelico.

2^o Speciatim ad rem faciunt verba Pii IX damnantis asserentes *optimam esse conditionem societatis* in qua vigent hae libertates, et laudabiliter *eas in quibusdam catholici nominis regionibus* introductas esse. Et hac certe de causa, Leo XIII, in Encycl. *Libertas*, declarat illas eatenus admittendas quatenus: « potest vel etiam debet lex hominum ferre tolerantiam », addens « quanto plus in civitate mali tolerari pernecesse est, tanto magis distare id genus civitatis ab optimo ».

II. *Argumentis ex ratione.*

355. 1^{um} argumentum: *interesse societatis civilis.* Unitas enim in vera religione summopere confert ad bonum temporale societatis. Porro haec unitas, ut patet, est impossibilis cum cultuum falsorum tolerantia.

Probanda est major sic: Ad bonum temporale societatis, plurimum conducit fovere concordiam inter cives, et praecavere luctuosos conflictus, et alias deordinationes plus minusve ordini publico exitiosas. Sed unitatem in vera religione promovere et conservare, est ad haec obtinenda medium efficacissimum.

1^o est medium efficacissimum ad fovendam concordiam. Nam hac unitate obtinetur, sive civium interesse, sive multitudinis cum principe conjunctio intellectuum et voluntatum, et non qualiscumque conjunctio, sed in re quae maximum habet influxum super opera-

tionem sociale. Quis enim ignorat vinculum religiosum esse, inter omnia, arctissimum ac potentissimum, ex quo omnis institutionis humanae praecipuus vigor enascitur?

2° Est etiam medium efficacissimum et necessarium ad luctuosos praecavendos conflictus. Quoties enim omnes moraliter alicujus gentis cives in vera fide concordant, introductio religionis falsae, unitatem religiosam frangendo, mentes et corda ab invicem dissociat, et cruentis plerumque factionibus viam aperit. Data siquidem cultuum libertate, sponte fluit libertas, pro singulis, suam religionem, meliori quo poterit modo, propagare. Experientia autem constat quod, quo magis quis se existimat prae caeteris veritatem religiosam possidere, et viam cognoscere supremae beatitudinis, eo majori incitatur zelo ad propriam fidem communicandam non habentibus; imo falsarum religionum sectatores ad media illicita et injusta potius recurrere solent. Atqui, his positis, nemo non videt quot nefanda inde evenient, quibus pax publica statusque politicus brevi corrueat. Et id factis notissimis et recentioribus historia confirmat.

3° Insuper, hac unitatis religiosae incolumitate multae aliae removebuntur exitiosae deordinationes. Nullus quippe fere est error religiosus, qui secum non inferat consecutaria practica plus minusve ordini publico infensa. Nonne, v. g. inutilitas honorum operum quam Protestantes pro dogmate fundamentali habent, item dogma fatalismi quod Calvinistae propugnant, ex se ad omnis generis flagitia inducunt? Jam vero, si liceat talia publice praedicare, cur eadem ad praxim reducere foret vetitum? Veritates morales ideo cre-

duntur, ut fiant agendi regulae; neque vera dici potest libertas ore profitendi fidem, ubi interdicitur illam actibus externis exprimere.

De caetero, omnis haeresis oritur a spiritu rebellionis contra auctoritatem omnium sacratissimam, scilicet, Ecclesiae. At ubi princeps, pro posse suo, talem rebellionem non reprimat, quando talis repressio moraliter est possibilis, quo jure et effectu propriam auctoritatem adversus subditorum suorum insolentem pervicaciam tuebitur?

356. 2^{um} argumentum : *perfectio libertatis.*

Facultas peccandi non est libertatis perfectio, alioquin Deus non esset perfecte liber, sed est potius libertatis defectus. In eo igitur sita est praerogativa liberi arbitrii, quod homo non impediatur, inter media beatitudinem adipiscendi, ea eligere quae ipsi utiliora videbuntur; et quidquid confert ad meliorem hujusce facultatis usum, hanc, nedum perimat, e contrario perficit. Talis est lex, ostendens nobis quid sit agendum vel omittendum; talis est legis sanctio per praemia et poenas; talis est etiam gratia intellectum illuminans et voluntatem juvans. Officium autem est Ecclesiae omni ope eniti, ut praefatis subsidiis hominis libertas quam plurimum perficiatur; et huic operi libertati tam proficuo, civitas multum ex sua parte confert, quando satagit ut religio catholica a fidelibus christianis recte observetur. Jam vero, libertas civiliter concessa profitendi ac propagandi cultum falsum, de se ad hanc observantiam non conducit, neque addit libertati novas vires ad eligendum inter media beatitudinem veram attingendi, sed potius majorem dat sese a fine ultimo avertendi facilitatem. Non est ergo

aliquid in se perficiens libertatem, sed potius ad ejus defectum pertinens.

357. 3^{um} argumentum : *naturae lapsae infirmitas.*

Ea non est probanda, tanquam absolute bona, societatis civilis conditio, quae multo magis erroris quam veritatis partes adjuvat. Atqui talis est societatis civilis conditio, qua aequalis tribuitur falsae ac verae religioni libertas. Praeterquam enim pars civium longe maxima, subtilitates ac sophismata contra veritatem religiosam a perversis hominibus prolata, evadere difficillime queunt; experientia notum est naturam peccato corruptam, proprio suo pondere, plus ad falsas religiones cupiditatibus blandientes, quam ad veram iis adversam tendere. Ergo, libertatis aequalitas inter veram religionem et falsas, in detrimentum prioris et caeterarum emolumentum de se quasi necessario vertitur. Quam rationem sapientissime tangit Leo XIII, in Encycl. *Libertas*, his verbis : « Eo magis quod civium pars longe maxima praestigia cavere, captionesque dialecticas, praesertim quae blandiuntur cupiditatibus, aut non possunt omnino, aut sine summa difficultate non possunt. Permissa autem cuilibet loquendi, scribendique infinita licentia, nihil est sanctum inviolatumque permansurum; nec illis quidem parcetur maximis verissimisque naturae judiciis, quae habenda sunt velut commune idemque nobilissimum humani generis patrimonium. Sic sensim obducta tenebris veritate, id quod saepe contingit, facile dominabitur opinionum error perniciosus et multiplex. »

358. 4^{um} argumentum : *protectio Catholicis et Ecclesiae debita.*

Nam 1^o ubi viget cultuum libertas, impossibile est eos qui auctoritate, ingenio, divitiis, eloquentia polent, hisce donis et subsidiis non abuti ad infirmiores decipiendos, adducendosque ut falsae religioni adhaereant; quae sane agendi ratio in se est odiosa, injusta et maxime perniciosa. Porro principum temporalium officium est tales vexationes mediis externis impedire.

Nam 2^o dato quod liceat catholica dogmata dogmatibus perversis impugnare, jam nullum in Ecclesia calumnianda frenum objicietur illis, qui hanc tradunt veluti regnum Antichristi penitus exterminandum, veluti institutionem libertatis, progressus ac recentis civilitatis inimicam, et sexcenta alia hujusmodi indesinenter proferunt; ex quibus brevi auctoritas civilis adiget ad ordinationes statuendas libertatum Ecclesiae penitus eversivas; et hoc infeliciter historia testatur.

359. Dico 3^o : *Falsum est, attento etiam praesenti societatum civilium statu, libertatem conscientiae et cultuum ubique et plene admittendam esse, aut, in aliquo saltem gradu, definitive acceptandam ac retinendam.*

Est contra Liberales catholicos *practicos*, juxta quos, cum societatum civilium secundum principia 1789 constitutarum conditio, licet imperfecta, videatur tamen irreformabilis, necessitas adest ut Ecclesia tandem cum hodierna civilitate reconcilietur, et veteribus quibus fruebatur privilegiis definitive renuntiet.

Prob. 1^a pars, seu : praesens societatum civilium conditio non exigit, ut libertas conscientiae et

cultuum in tota sua extensione et ubique locorum admittatur.

Quam quaestionem facti Pius IX solvit damnando in Syllabo propositiones sequentes : « Aetate hac « nostra, non amplius expedit religionem catholicam « haberi tanquam unicam Status religionem, caeteris « quibuscumque cultibus exclusis » (Prop. LXXVII.). « Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis « regionibus, lege cautum est ut hominibus illuc im- « migrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus « exercitium habere » (Prop. LXXVIII.). « Romanus » Pontifex potest ac debet cum progressu, cum libe- « ralismo et cum recenti civilitate sese reconciliare « et componere » (Prop. LXXX.). Itaque non desunt omnino populi apud quos expediat religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem; et ideo laudabiliter non se gesserunt ii legislatores qui, apud has regiones catholicas, omnimodam concesserunt libertatem cultuum.

Et id ratio demonstrat. Ubi enim cives fere omnes catholicam religionem profitentur, cur haec non haberetur veluti religio Status? Item, in his regionibus catholicis, ubi aliqua religio falsa nondum introducta est, aut saltem non est multum radicata, quae necessitas ipsi concedendi ut libere in publicum exerceatur?

Prob. 2^a pars, seu : Libertas conscientiae et cultuum, in nullo gradu, unquam est definitive accipienda et retinenda.

Constat 1^o *auctoritate*.

Ex supra allatis documentis, clarum est Pontifices Romanos hanc libertatem tanquam aliquid in se malum, spectato jure evangelico et naturali, reprobasse,

et nolle a societate civili nisi tanquam minus malum aliquando tolerari. Atqui est contra rationem illud definitive accipere ac retinere, quod non nisi toleranter et ad majus malum vitandum sustinetur.

Suam hac de re sententiam luculenter aperit Leo XIII, in encycl. *Libertas*, cujus sequentia verba citare sufficiet : « Vehementer quidem vellet Ecclesia, « in omnes reipublicae ordines, haec quae summatim « attingimus, christiana documenta re usuque pene- « trarent. In iis enim summa efficacia inest ad « sananda horum temporum mala, non sane pauca « nec levia, eaque magnam partem iis ipsis nata « libertatibus, quae tanta praedicatione efferuntur, « et in quibus salutis gloriaeque inclusa semina vide- « bantur. Spem sefellit exitus. Pro jucundis et salu- « bribus, acerbi et inquinati provenere fructus. Si « remedium quaeritur, sanarum doctrinarum revo- « catione quaeratur, a quibus solis conservatio or- « dinis, adeoque verae tutela libertatis fidenter « expectari potest. » Et paulo inferius : « Si, ob sin- « gularia reipublicae tempora, usu veniat ut modernis « quibusdam libertatibus Ecclesia acquiescat, non « quod ipsas per se malit, sed quia permissas esse « judicat expedire, versis in meliora temporibus, « adhibitura sane esset libertatem suam, et suadendo, « hortando, obsecrando studeret, uti debet, munus « efficere sibi assignatum a Deo, videlicet sempiternae « hominum saluti consulere. » Existimavit itaque Leo XIII revocandas esse, id est, ad praxim reducendas sanas doctrinas, Ecclesiae jus exclusivum ad libertatem tribuentes, et Ecclesiam, mutatis circumstantiis, seu, versis in meliora temporibus, pristinum